



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De die iudicij, incerto interprete.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

D. IOAN. DAMASCENI
DE DIE IVDICII



VDIMVS, cū Euangelium legitur, terribilem vocem, & metuendam pariter, & desiderandam Domini nostri sententiam. Terribilis est, pro eo quod dicit: *Discedite à me maledicti.* Desiderabilis, pro eo quod dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Quis enim audita hac voce non contremiscat, simul & gaudeat? Quia Christus seruis suis promittit regnum, & peccatoribus ignem minatur æternum. Rogo vos, Fratres charissimi, vt lectionem istam attento corde audiatis, & memoriter retineatis. Qui enim istam lectionem diligenti mente attēdit, etiam si reliquas Scripturas minimè intelligat, ista sola lectio sufficere potest ad omne opus bonum faciendum, & ad omne opus malum fugiendum. Attendite Fratres, quòd Dominus illis qui ad dextram futuri sunt, promisit dicere: *Venite benedicti, quia esuriui, & dedistis mihi manducare.* Illis verò qui ad sinistram erunt, dicturus est: *Discedite à me maledicti, quia esuriui, & non dedistis mihi manducare.* & reliqua. Non dixit, *Discedite à me, quia furtum & homicidium fecistis,* & alia mala: sed ait, quia de substantia vestra pauperibus non dedistis. Sicut illos qui ad dexteram futuri sunt, sola misericordia liberabit: ita eos qui ad sinistram sunt, sola auaritia condemnabit. Non idēò audituri sunt, *Venite benedicti, quia non peccastis:* nec illis dicturus est, *Discedite à me maledicti, quia peccastis:* sed, quia peccata vestra eleemosynis redimere nolulistis. Nullus sine peccato esse potest, sed peccata sua omnis homo (Deo auxiliante) eleemosynis redimere potest. Dominus enim ait: *Qui esurientem non pauerit, & nudum non vestierit, mittetur in ignem æternum.* Et si cum diabolo condemnatur, qui pauperi non dedit: vbi damnandus est, qui tulerit alienum? Si in inferno damnatur, qui peregrinum non susceperit in domo sua: vbi damnandus est, qui foras expellit? Si in ignem mittitur, qui nudum non vestiuit: vbi damnandus est, qui expoliavit? Tenete vos Fratres, ad eleemosynā vel misericordiam, quia eleemosyna non patitur operarium suum ire in tenebras. Sicut enim ait Daniel Propheta: *Consilium meum, Rex: peccata tua eleemosynis redime: & si neglexeris, sine causa ad cœlum pulsabis.* O anima, quæ intra carnales & fragiles parietes habitas, vigila, ora, p̄sila, & quare. Vigilanti tibi & petenti (dicit Dominus) ecce adsum: & si transieris per ignem, tecum sum, & flamma te non comburet. Quem orando si quaesueris, inuenies. Cū pulsaueris erogādo, Christus tibi aperit ianuas suas, vt possessor paradisi introeās. Et si adhuc putas de fine mundi restare, vel tuum considera finē. Paulatim enim subtrahuntur omnia bona quæ erant, & accedunt mala quæ non erāt. Scriptum est enim: *Nudus exiui de utero matris mee, & nudus ibo sub terram.* Idēò fac eleemosynam, dum pretium in manibus habes. Dona tibi de tuo, quia labile est quod tenes, & semper extraneum. Attende pretium, respice Dominum tuum, considera quale pretium pro te dedit. Sanguinem suum pro te fudit: charum te habuit, quem tam carè redemit. Fuge exemplum diuitis, cuius canes Lazarus suis vulneribus pavit, & non viuit diues. Quos utique canes natos similes, dissimiles ferunt diuitiæ, tamen mortui sunt pares, & apud inferos mutaræ sunt vices. Tunc ait diues: *Pater Abraham, miserere mei.* Dixit Abraham: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: hic verò consolatur, tu autem cruciaris.* O homo, audis iustam comparationem sententiæ, quia refrigerium non habet, qui pauperi non dedit? Fratres mei, in manu Dei formati, audite vocē Domini, implete desiderium eius, vt accipiatis hæreditatem in regno

A in regno Patris vestri. Ex seruo enim factus es amicus. Contemne, quod damnatus es: respice, quod renatus es. Fac tibi artificem contra terrenum patrimonium: Deus offert coelū. Tunc licet tibi Pater & Dominus & amicus, cum fecisti coelestis commercium: Amen dico tibi, quod fecisti vni ex his minimis, mihi fecisti. Quod ego accipio, nunc reddo centies tantum, immo millies centuplum, & in fixam vitam aeternam, sicut per Ioannem promisi, mille annorū conuiuium, & ad dexteram Patris regnum. Ideo rogo vos, Fratres, vt vnusquisque, quantum valet, peregrino porrigat cum bono animo. Audi Dominum in Euangelio dicentem, de vidua quae duos nummos obtulit, Magis omnibus misit: quia reliqui diuites erant: & ex eo quod illis abundauit, dederunt: illa verò totum quod habuit, obtulit: & ideò meruit, quod eam Dominus proprio ore collaudaret. Ideò vnusquisque faciat quod praeualet: excepto victu rationabili & vestitu, quicquid superfuerit, latus & hilaris pauperi tribuat. Quare latus? Quia parum dat, & accipit multum. Porrigit nummum, & comparat regnum. Tribuit paruam pecuniam, & accipiet vitam aeternam. Dat temporalia, vt mereatur aeterna. Porrigit caduca, & recipit sine fine mansura. Et si tibi dixerit homo fidelis, Da mihi vnum aureum nummū, & reddo tibi solidos aureos centum: nunquid cum gaudio dabis vnum, vt accipias centum? quanto magis, quia tibi dicit Dominus, qui pauperi tribuit, Deo scenerat? Da ergo Deo in terra, vt accipias in vita aeterna: vt cum veneris in conspectu angelorum ante tribunal aeterni iudicis, secura & libera conscientia dicere possis: Da Domine, quia dedi: fac misericordiam, quia feci. Ego impleui quod iussisti, & tu redde quod promissisti. Et ibi audire merearis: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Praestante Domino nostro Iesu Christo, qui vixit & regnat in saecula saeculorum. Amen.

IACOBVS BILLIUS LECTORI S.

De sequēti historiae auctore à quibusdam dubitari video. Quidā enim Damascenū verum ipsius auctore esse censent. Quidam autē eam falso ipsi tribui contendunt. Ac certē in clarissimi Viri Fumai codice Ioanni Sinaitae ascribitur. Ego verò etsi Lectoris non ita multū interesse puto, vtrius ea sit, modo pia & lectu digna sit, quemadmodū re vera est, tamen si mihi iudicium meū interponere liceat, verum Damasceni factum eam esse affirmare non dubitē. Nam vt omittā quod Trapezuntius, vir natione Graecus, & magni non inter suos tantum, sed etiā inter nostros nominis, non aliū quā Damascenū eius auctorem protulit, primum ipsa phrasīs, reliquis ipsius operibus quā similitudine, Damascenum auctorem testatur. Deinde ad eam opinionē confirmandā illud mihi magni momenti est, quod vt in libris De orthodoxa fide, ac reliquis penē omnibus, Damascenus multa è Basilio, Gregorio Nazianzeno, aliisque eiusdē notae Patribus, libenter corrogat, atq; integros saepe versus, imò etiā totas periodos ab ipsis mutuatur: eodē modo in hac quoque historia multa ex iisdē auctoribus, suppresso interim nomine, produci animaduerti, ac praesertim ex Nazianzeno, vt cap. 7. 8. 10. 11. 15. 17. 20. 24. ac plerisque alijs locis. Adde quod non solum ab illis lubenter mutuo sumit, sed etiā multa quoque affert, ex libris De orthodoxa fide ad verbū transcripta, vt ea omnia quae cap. 15. de arbitrij libertate disputat. Quod quidem, vt opinor, non tam aperte faceret, nisi tanquā suo iure ijs, vt suis, vteretur. Denique cap. 19. disputatio ea de Imaginibus, quae Damasceni aetate feruebat, in eadē sententia non parū me confirmat. Vt autē haec omnia pro Damasceno faciunt, ita hanc historiam Ioannis Sinaitae minimē esse apertissime conuincunt. Nam cum ille senioris Theodosij tempore fuerit, vt patet ex lib. 13. histor. Miscell. Pauli diaconi, quoniam pacto in hac historia, quam Auctor ex India transuectā testatur, Nazianzenum, cuius scripta vixdum in hominū manibus versabantur, citare potuisset, atque etiam eo antiquiore Episcopum, ac Valentis tempore vita functū, Basilium suppresso licet nomine, cap. 19. vbi de Imaginibus tractat, & cap. 34. vbi Iosaphat eā ad Deū Orationē habet, quā ex Constitutionibus Basilij, cap. 1. perspicua